

Illustrissime, ac Rever. Domine.

Dabit veniam Ill^a ac Rever^a D.V. si frequentius scribam, quam fortassis patiantur maiora et severiora vestra negotia, eo quod paterna me sollicitudo exstimulet pro charissimo filio, quem video iam aditum habere ad vestram benevolentiam, ut illa non sit sterilis, ac sine fructu non tantum benevolentiae, sed etiam alicuius beneficentiae. Scio à pueris Florentium meum et sponte sua, et voluntate nostra Deo ac Ecclesiae dicatum; ut merito ille, qui à primis annis hoc vitae genus sibi proposuit, eodem etiam favore nostro et amicorum dirigatur. Amicitiam vestram Ill^{ma} ac R^{ma} D. filius meus (ni fallor) iam tenet, et ego in filio. Rogatum ititur venio, ut quem complexa est Ill^{ma} ac Rev^{ma} D.V. quibusdam veluti amicitiae ulnis, per opportunitatem beneficio aliquo ecclesiastico dignetur cumulare. Viam investigando didici: si dignetur Ill^a ac R.D.V. id negotii in Datariā demandare, ut quando ad Rev^{mam} Datarium renunciabitur de canonicatu aliquo vacante cuius collatio incidat in S.D.N. Papae manus, velit ille certiores vos facere, ut de filio meo simul occurrat memoria, qui isthic sibi de novo parente ac munifico patrono gratuletur. Porro praebendae alicuius nominis, quaeque mereantur incidere in manus adolescentis nobilis sunt vel in Metropolitana Cameracensi Ecclesia, vel Cathedralibus Antverpiensi, Gandavensi, Iprensi, vel in Collegiatis S. Servatii Traiecti, et S. Petri Insulis. Ad quas praebendas, quando omnes proponuntur, non usque adeo difficilis est aditus, si interveniat cuiuspiam benevolentia et authoritas. Speravi vero, et omnino credidi, securum esse mihi, et filio meo ad vos perfugiam: neque enim sine aliquo Christo-phoro (ut aiunt) hic transmeatur: quo fit, ut Ill^{mam} ac R.D.V. etiam atque etiam rogatam velim, ut quae certissima dedit benevolentiae argumenta, usque eò dignetur prorogare. Nos interim novo obstricti beneficio novas favoris et amoris ansas arripiemus, Deus Opt. Max. Ill^{mam} ac R.D.V. diutissime servet incolumem. / Illust^{mae} ac Rev. D.V. / Humilis et
cliens / Tserclaes.

Arch. Vat.

Mss. Ges.

18 fol. 19

Origin.

Adresse
et cachet